



Paturus egregia eruditione & pietate præditus fuit. Itaq; in superiori Germania ad lacum Podmicum magna diligentia Christum prædicauit, atque plurimos Barbarorum ab idolorum cultura ad ueram religionem perduxit. Cum autem Clodoueus Francorum rex Christianorum fidem iusscepisset, atq; ubiq; pietatem promouere studeret, iuxta quorundam sententiam Vindonissæ Episcopatum erexit, atq; hunc Paturum primum eius loci Episcopum ordinauit, anno 515. In eo loco per centum & amplius annos ea Ecclesia constitit, atque ordine Paturum, S. Landonem, Maxentium, & Maximum Episcopos habuit. In eadem etiam Ecclesia S. Friulphus, S. Audomarus, & S. Columbanus floruisse dicuntur. Cum autem Clotarius secundus Dagoberti Magni pater rebus præesset, hunc Episcopatum ob rerum commoditatem Constantiam transtulit, atque Maximum Vindonissæ præfulem Constantiensem Episcopum dici uoluit. Hac ratione factum, ut Vindonissa urbs paulatim defecerit, & tandem in ruinas abierit, ita ut hodie pagus tantum eo in loco supersit, iuxta quem Habspurgenses comites nobile monasterium Kinigsfelden postea ædificarunt. Sunt quidam alij, qui huius Episcopatus alios authores tradant. Verum cum in tanta rerum antiquitate, & scriptorum penuria nullum fide dignum authorem habeant, cuique suum iudicium liberum relinquo. Anon. in Episcop. Constant.